

entis, et actio perfectissima in dando, et influendo esse, et omnino independens, quia est ex nihilo; unde actio quæ sufficit creare aliquod ens quantumvis minimum, verbi gratia formicam, sufficit creare quodcumque ens, verbi gratia Angelum, quia hoc ipso quod ex nihilo, et independenter ab aliquo facit, perinde est facere multum, vel paucum, de quo plura dicemus sequenti articulo.

VIII. Dico quarto: Materia prima non creatur proprie a Deo, et per se, sed concreatur, ut dependens a forma in suo esse, illa autem concreatio non est ex aliquo, sed ex nihilo ex parte termini a quo, licet fit dependens a forma in suo esse ex parte termini ad quem. Forma autem substantialis in prima creatione rei compositæ non creatur proprie, nec educitur de potentia materiæ, sed concreatur ad creationem totius. Hæc est contra Vasquez citato loco, qui supponit materiam non esse puram potentiam in genere entitativo, sed in genere formali, et ita putat creari a Deo sicut creatur anima rationalis, licet cum dependentia in sua connaturali conservatione a forma substantiali, cum tamen anima naturaliter possit conservari sine corpore: imo ratione materiæ dicit convenire compositis quod creentur.

Cæterum nostra conclusio est expressa D. Thomæ qui in quæstione III de potentia, artic. I ad XII, inquit quod: « Neque materia, neque forma, neque accidens proprie dicuntur fieri, sed id quod fit, est res subsistens: cum enim fieri terminetur ad esse, proprie ei convenit fieri, cui convenit per se esse, scilicet rei subsistenti; unde neque materia, neque forma, neque accidens dicuntur proprie creari, sed concreari. » Et articulo quinto ad tertium inquit, quod: « Materia prima per se

non creatur hoc sed ex, non sequitur quod non creatur sub forma. » Idem docet in hac prima parte, q. XLIV a. II ad III, quod: « Materia prima est creata, sed non sine forma. » Et in hac quæstione XLV, art. IV ad III, cum proposuisset argumentum ad probandum quod materia prima est quæ proprie creatur, et non compositum, quæ est sententia Vasquez, respondet quod: « Ratio illa non probat quod sola materia creetur, sed quod materia non sit nisi ex creatione: nam creatio est productio totius esse, et non solius materiæ. » In sententia autem Vasquez sola materia creatur, forma vero educitur, et compositum ex utriusque unione conflatur: ergo opponitur sententiæ D. Thomæ. Similiter secunda pars conclusionis, quod formæ in prima productione non sunteductæ de potentia materiæ, sed concreatæ a Deo, affirmatur clare a D. Thoma infra q. LXV, a. IV, in corpore, ubi inquit quod: « In prima creaturæ corporalis productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia ad actum; et ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora humana habuerunt, sunt immediate a Deo productæ. »

IX. Ratio primæ partis est, quia illud dicitur creari directe, et per se quod non producit ut adjunctum vel accessorium ad alterum, sed ratione sui; quod enim se habet ut adjunctum alteri, dicitur concreari, aut comproduci, eo quod creatio est actio dans esse. Igitur eo modo quo aliquid habet esse, dicitur creari, scilicet si habet esse per se, et directe dicitur primo, et per se creari, si habet esse ut conjunctum, et coexistens alteri, dicitur concreari, aut comproduci: constat autem quod materia essentialiter est pars, et ens incompletum, et in genere entis incompleti est imperfectius for-

ma, cum sit in potentia ad illam, et actuetur per illam. Unde si formæ (excepta anima rationali) non habent esse subsistens, et per se, multo minus materia. Quare potentialitas materiæ vel est tanta quod per se, et immediate caret omni esse, et solum mediate est capax illius, scilicet mediante forma, ut sentit S. Thomas, vel est talis potentialitas, quod in se solum habet esse entitativum incompletum: est autem in potentia ad formas, ut cum earum actualitate formali componat totum. Si primum, extra controversiam est quod non creetur nisi sub forma, et dependenter ab illa; et sic concreatur cum illa. Si secundum, solum accipit esse incompletum, et de se conjungibile cum forma, et non in se subsistens, quia materia si habet esse entitativum in se, non est perfectius ipso esse formæ, cum citra omnem dubitationem, forma perfectior sit in ratione entis, quam materia. Unde si forma habet esse incompletum, et non subsistens (præter animam rationalem) et consequenter forma non per se, et directe creatur, sed concreatur in toto, a fortiori materia prima etiam non creabitur, sed concreabitur, etiamsi illi demus tantum esse entitativum quantum habet ipsa forma substantialis: majus enim dare non possumus, alioquin materia perfectior erit forma, et non infimum ens, nec aptum generationi substantiali, si in suo esse est subsistens; et sic esse illi adveniens, et productum per generationem non erit esse simpliciter: et per se primo, sed accidentale, et secundarium, ut pote aliud primum præsupponens. Quare in omni eventu materia non creatur directe, et per se, sed concreatur, quia non per se, et simpliciter existit, sed coexistit.

X. Secunda pars conclusionis probata a nobis est I physic. qu. IV,

art. II, quia in prima rerum corporali productione non fuerunt facta illa corpora per transmutationem materiæ, sed per creationem simpliciter: ergo formæ non fuerunteductæ ex materia, sed ad creationem totius concreatæ. Consequentia probatur, quia forma non educitur de materia, nisi in quantum materia reducitur de potentia in actum, seu id quod ex parte materiæ est in potentia ad formam, in actum formæ reducitur; hoc autem sine mutatione materiæ intelligi non potest: nam sive materia procedat duratione, et tempore ipsam generationem formæ, sive solum prioritate naturæ, tamen si vere forma educitur de potentia materiæ, oportet quod ipsa materia sub utroque statu consideretur, scilicet sub statu potentiæ, et sub statu actus, seu formæ, et transeat de uno ad alium, eo quod non educitur forma de potentia materiæ, nisi prius ipsa forma sit in potentia, et postea in actu; esse autem formam in potentia, est materiam esse in potentia ad formam; requiritur ergo ad educationem formæ de potentia materiæ, quod transeat materia de potentia ad actum, et hoc transmutari, quia aliter est quam prius, cum prius est in potentia saltem prioritate naturæ, et postea in actu. Antecedens autem probatur, quia illa transmutatio materiæ non poterat fieri ab aliquo agente creato, cum esset prima rerum productio, et ita non supponebat agens creatum a quo fieret: et præterea non poterat modo naturali transmutari materia, quia hæc transmutatio fit mediantibus accidentibus, quibus alteratur, et disponitur materia ad hanc formam potius quam ad aliam; tunc autem in illo primo instanti producebatur materia, non seorsum, et per se existens, sed sub forma: ergo non erat locus ut tunc educeretur ab agente crea-

to illamet forma per transmutationem materiæ. Neque sursum ab ipso Deo immediate debebat sic educi, quia hoc non esset proprie, et simpliciter creare, nec creare talia corpora, verbi gratia cœlum, terram, etc. quia illa nec actio ut creativa materiæ, non daret illi esse, sed esset dependens a productione formæ, a qua esse haberet, et cum illa productio esset eductio, consequenter creatio, quæ non daret esse ut creatio materiæ est, esset dependens ab illa actione eductiva, ut completa, et consummata esset in dando esse, si quidem prout creative tangit materiam, non dat illi esse, quia juxta sententiam D. Thomæ materia non est capax habendi esse, nisi per formam: ergo si hanc habet per educationem, ipsa actio quatenus creativa non dat esse; et sic imperficatur, et impeditur in ratione creandi, si quidem educatione formæ datur esse materiæ, sicque esset sicut creatio animæ Christi, quæ, in quantum creatio, fuit impedita dare proprium esse, et subsistentiam animæ, et suppleta fuit per assumptionem; ad eum faceret Deus, si crearet materiam, et creatione non attingeret formam, sed educatione: sic enim compleretur illa creatio in dando esse educatione formæ, sicut creatio animæ Christi assumptione ad Personam, et esse divinum consummata fuit. Et hac ratione admisimus in prædicto loco physicorum posse Deum in instanti generationis, quo educenda est forma, creare materiam ex qua fiat eductio, sed talis creatio non erit completa, sed dependens ad educatione formæ, ut sub illa existat materia, sicut creatio animæ Christi completa est assumptione in subsistere, et in esse. Et qui in schola D. Thomæ defundunt in speciebus eucharistiæ pro instanti corruptionis earum poni materiam per creationem, talem incom-

pletam creationem debent ponere. Sed quia hoc minus apparentiæ habet, ideo probabilius censuit D. Thomas non creari de novo materiam, sed quantitatem eucharisticam converti in illam ex vi prioris conversionis, ita quod conversione, non creatione fiat, quæ conversio non dat immediatum esse materiæ, sed subjicit illam formæ, ut ab ea esse habeat.

Quia ergo creatio materiæ conjuncta educationi formæ in instanti creationis minus connaturaliter se habet, quia necesse est creationem imperfici, et impeditur, ac suppleri per educationem, ideo ne talem creationem ponamus in initio rerum, sed creationem absolutam, et perfectam qualem verba Scripturæ sonant, cum dicit: *In principio creavit Deus cœlum, et terram*, cum ex hoc loco colligamus perfectam, et absolutam Dei creationem; ideo ponendum est quod formas substantiales tunc non eduxit, sed concreavit, directe faciendo, et influendo totum esse ipsi composito, seu supposito, quod simpliciter habet, et accipit esse, partibus autem ut co-existentibus, et contentis in ipso toto.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Contra primam conclusionem potest argui primo, quia gratia, et dona supernaturalia non possunt educi de potentia subjecti: ergo debent creari. Consequentia est certa, quia omne quod producitur, aut fit ex subjecto; et sic est eductio, aut non ex subjecto; et sic est ex nihilo, quod est creatio. Antecedens probatur, quia illud educitur de potentia alicujus subjecti, quod dependet in suo esse ab illo, et continetur intra latitudinem, et spheram illius, sed gratia a nulla natura dependet, ne-

que illi est debita, sed superat omnem conditionem naturæ: ergo non educitur de potentia alicujus subjecti, et rei naturalis, alioquin illi rei naturali a cujus potentia educitur, erit debita, et connaturalis gratia, quod est Pelagianum.

Confirmatur, quia gratia in Scriptura dicitur creari: ergo fit per creationem proprie dictam, quia verba Scripturæ in proprietate accipienda sunt. Antecedens patet, ut cum dicitur ad Ephes. II: *Creata in Christo Jesu in operibus bonis*: et Ps. L: *Cor mundum crea in me Deus*.

Respondetur quod gratia educitur de potentia subjecti obedientiali, non naturali, et ita educitur educatione supernaturali, non naturali. Et ad probationem dicitur, quod gratia dependet a subjecto secundum potentiam obedientialem, et per respectum ad Deum auctorem supernaturalem, non per respectum ad aliquod agens naturale. Imo in hoc consistit potentia obedientialis, quod reduci non possit ab aliquo agente naturali, sed a supernaturali. Unde tales formæ non continentur intra latitudinem propriæ, et naturalis spheræ rei naturalis, nec illi sunt debita, quia non respicit illas ut proportionatas, et ab aliquo naturali agente producibiles, sed solum per ordinem ad agens supernaturale. Et sic non sunt ipsi debita, quia solum de obedientiali potentia sunt educibiles, et per ordinem ad agens supernaturale. Neque circa hoc Pelagiana hæresis aliquid docuit, quia non fuit cum ea controversia circa educationem istam; supposito enim quod non est debita naturæ, nec de potentia naturali, sed obedientiali educitur, nihil cum Pelagio in hac parte sentitur, sed ab eo longe receditur. Et hæc est mens D. Thomæ quam explicuit quæst. III de potentia, art. VIII ad III, ubi inquit, quod: « Gratia proprie non

creatur per modum quo substantiæ per se subsistentes creantur: infusio tamen gratiæ accedit ad rationem creationis, in quantum gratia non habet causam in subjecto, nec efficientem, nec talem materiam in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus. » Unde

Ad confirmationem respondetur, quod dicimur creari in bonis operibus, et gratiam creari in nobis, quatenus sine ullis meritis nostris datur; et sic pro nihilo datur nobis, et hoc est creari moraliter loquendo, non physice.

XII. Contra tertiam conclusionem objicies secundo: Composita substantialia quantum ad formalitatem suæ compositionis non fiunt ex nihilo: ergo prout sic non creantur. Consequentia est perspicua. Et antecedens probatur, quia compositum prout tale fit ex partibus quibus constituitur: ergo præsupponuntur partes, saltem prioritate naturæ: ergo pro illo priori non purum nihil, sed aliquid præsupponitur. Ad hoc autem ut actio dicatur esse ex nihilo, vel ex aliquo, non est necesse quod illud aliquid duratione præcedat, sed sufficit quod prioritate naturæ: ergo si pro illo priori supponitur aliquid ex quo fiat, non fit ex nihilo.

Confirmatur, quia partes non fiunt simul cum toto, si quidem inter totum, et partes datur ordo, et causalitas, quia totum est ex partibus, nec etiam partes sunt posteriores, quia totum componitur ex illis, non partes resultant ex toto: si enim supponitur totum, jam partes non indigent resultare: ergo partes præcedunt: ergo si fit totum ex partibus, fit ex aliquo positivo præsupposito, et prioritate naturæ præcedente: non ergo fit ex nihilo in quantum compositum est.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur quod compositum fit ex partibus, distinguo; tamquam ex constituentibus, concedo; tamquam ex subjecto a quo educatur aliquid, vel termino a quo qui relinquatur, nego. Quod autem in creatione constituit formaliter actionem ex nihilo, est quod res non fiat ex aliqua potentia subjecti, vel ex termino a quo positivo. Quod autem fiat ex aliquo positivo tamquam ex constituyente intrinseco, et tamquam ex partibus, hoc non tollit quod fiat ex nihilo. Cujus ratio est, quia illæ partes, et illa constitutiva tenent se ex parte ipsius rei factæ, atque adeo ex parte termini ad quem. Terminus autem ad quem in creatione aliquid positivum est, et solum terminus a quo est nihil, et subjectum nullum de quo educatur. Fiunt ergo partes ipsamet actione qua fit totum, non tamquam ex præsuppositis in ipso fieri, et produci, sed tamquam ex componentibus, et constituentibus in facto esse, quia in ista actione creativa non prius fiunt partes per ipsam actionem, et postea conflatur totum, sed immediate attingitur totum, et in eo partes, non prius partes, et ex eis totum, et eo quod ista actio est universaliter productiva totius entis, nec procedit ab imperfecto ad perfectum, sicut est processus a partibus ad totum, sed ex sua primaria, et formali ratione, et attingentia respicit id quod perfectum est, scilicet ipsum totum, et universalem influxum ipsius esse, quod convenit toti: et quia in toto continentur partes tamquam quid incompletum, et minus perfectum, attingit illas ut sunt aliquid ipsius totius, et prout in eo ut imperfectum in perfecto continentur.

Ad confirmationem respondetur, quod in hac actione creativa partes fiunt tamquam quid contentum in

toto, et derivatæ, seu consecutæ ad totum, et minus illo, non ut quid præsuppositum ad componendum, et causandum totum: licet enim partes præcedant totum ordine generationis, et processionis de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum, tamen ordine perfectionis totum præcedit partes, et ipsas causat, et perficit in esse. Et hoc ideo est, quia esse per se primo convenit toti, partibus autem ut contentis in toto, eique coexistentibus, et quia esse est perfectissimus actus entitativus; ideo communicatio ipsius esse quod convenit toti ad partes ut contentas in toto, et minor est toto, est processus ordine perfectionis a perfecto ad imperfectum, et in hoc ordine prius est totum quam partes, id est, esse totius est prius quam esse partium, quia partes proprie non habent esse, sed subordinantur ipsi esse totius, et ab eo participant. Cæterum ordine inverso proceditur a partibus ad totum tamquam de imperfecto ad perfectum, et de potentia ad actum, quatenus disponuntur, et habilitantur partes ad conflandum, et causandum totum. Actio ergo, quæ disponendo procedit, et de imperfecto ad perfectum, et de potentia ad actum, prius attingit partes, et sunt aliquid tendens ad ipsum totum, et ex quarum unione totum resultat: et sic præcedunt partes prioritate naturæ totum. Et sic procedit generatio, aliæque actiones eductivæ. At vero actio quæ procedit influendo totum esse, et ipsum totum faciendo, non prius attingit partes, et ex illis componit totum, quia influxus ipsius esse non prius est ad partes, cum immediate ipsum esse conveniat toti, et inde communicetur partibus, ut continentur in toto, et sunt aliquid minus toto. Et sic partes secundario attinguntur, non sicut proprietates, sed ut communican-

tes in esse totius, et in ipso toto contentæ. Nec obstat quod etiam in hac actione creativa totum componitur ex partibus, et partes causant totum, quatenus ex illis conflatur: dicimus enim quod partes causant totum quidditative, et entitative; et sic producendo totum via perfectionis, et prout est continens ipsas partes, etiam ipsa compositio partium causatur, et ipsamet partes causant totum in diverso genere causæ, quia partes quasi materialiter se habent ad totum, et in potentia, et via imperfectionis, totum autem ad partes formaliter, et via perfectionis. Et licet utraque ista causalitas, et partium ad totum, et totius ad partes per hanc actionem communicetur, tamen directe, et per se prius attingit id quod formaliter est, et ex parte totius se tenet, derivaturque ad partes, quam e converso, quia iste processus creativus non est de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum, et de imperfecto ad perfectum, sed e contra; et ideo non prius attingit partes, et deinde totum, sed attingit directe totum, et in ipso toto partes componentes totum, et materialiter se habentes ad esse.

XIII. Tertio arguitur contra quartam conclusionem: Nam materia prima non potest produci nisi ex nihilo, cum non supponat aliam priorem materiam ex qua fiat: ergo per creationem: ergo secundum se recipit aliquod esse antecedenter ad esse compositi. Patet consequentia, quia est intelligibile quod creatio terminetur ad aliquod ens, et non det illi esse: ergo si creatio tangit materiam, dat illi esse, aut illa creatio nihil producet. Quod evidenter apparet, si fiat materia per creationem, et forma educatur ab aliquo agente creato, sicut fieri potest a Deo, et quotidie fit in speciebus eucharisticis, cum corrumpuntur,

et ex eis generatur aliquid; tunc in instanti quo species illæ desinunt, et generatur aliquid ex illis, creatur a Deo materia quæ serviat pro compositione ipsius rei genitæ, neque enim in eo manet quantitas loco materiæ, sed vera substantia materiæ: ergo in illo instanti generationis ponitur ibi materia, et non nisi per creationem, quia est ex nihilo, et tamen forma non fit tunc per creationem, sed per generationem, et educationem e subjecto: ergo potest creatio dari præcise ad materiam, et sic dabit illi esse, alia vero actio producit formam educendo illam e materia. Nec potest dici quod creatio tangit materiam, et dat illi esse, sicut ipsa est capax, id est, mediate, seu mediante forma, a qua producit materia dependens. Sed contra instatur hoc in primis in casu allato, quando sola materia fit a Deo, et ex illa per generationem fit aliqua forma. Secundo, quia si sic fieret, quælibet forma adveniens daret novum esse materiæ, quia esset nova forma: ergo mutaretur materia, quia diversum esse acciperet. Tertio, quia tunc materia non conservaretur aut dependeret solum a Deo per creationem aut conservationem illius, sed etiam ab agente naturali, quod educendo formam, induceret novum esse in materiam; et sic mediante tali esse, non a creatione continuata, sed ab isto sic generante dependeret. Quarto, quia alias cum materia crearetur cum forma, non fieret ex nihilo, quia fieret ex forma, utpote habens esse ex illa.

Confirmatur, quia quando creatur materia, non potest fieri forma per creationem, nisi sit anima rationalis: ergo falsa est secunda pars conclusionis. Antecedens probatur, quia illa forma fit tunc dependens a materia, et non ut subsistens: ergo fit per educationem a potentia ma-

teriæ, si quidem illa forma educitur, quæ in sui productione fit ut dependens a materia.

Respondetur negando quod materia recipiat esse immediate per creationem, sed mediante forma. Unde actio attingens materiam nunquam est creatio, sed concretio, quamvis ut attingit materiam ex nihilo sit, ut a termino a quo, sed tamen non ponitur materia in esse, nec redditur producta ex parte termini ad quem, nisi ut conjuncta productioni formæ, sive concretæ cum ipsa materia, si ipsum totum creetur, sive eductæ ex materia, si ipsum totum generetur, ut admissio casu quem affert argumentum de materia subrogata in speciebus eucharisticis, quando aliquid ex eis generatur. Itaque creatio absolute dat esse ipsi toti quod primo, et per se creat, partibus autem non dat esse seorsum, et secundum se, sed ut in toto, atque ita materiæ non tam dat esse, quam subesse formæ, seu dat esse dependentem a forma, tam ab illa sub qua creatur, quam a cæteris succedentibus per generationem, et loco prioris subrogatis. Et hoc non est creationem nihil facere, sed est dare esse materiæ, sed mediate, et dependentem a forma, non immediate in se, eo quod materia solum habet esse ut ens potentiale, et mediante forma actuabili ab existentia, sicut anima est operativa mediante potentia. Et quando producitur a Deo materia in instanti generationis ex speciebus eucharisticis, si talis productio fit per creationem, non fit per creationem absolute, sed dependentem ab educatione formæ, ita quod creatio subjiciat materiam formæ, et per eductivam actionem præbeat esse materiæ, quod per se non præbet, sed actio illa creandi conjungitur actioni eductivæ, ut per ipsam consummetur, et esse præbeat, sicut creatio animæ rationalis

in Christo non dedit ei subsistentiam, nec in sententia D. Thomæ existentiam, sed quoad hoc suppleta fuit, et consummata per assumptionem, quæ subsistentiam Verbi ei univit. Quod exemplum ostendit non repugnare quod una actio in aliquo esse dando consummetur per aliam.

XIV. Ad instantias autem allatas contra hanc responsionem, quod materia prima non accipit esse per creationem mediate, et dependentem a forma, sed immediate in se.

Ad primam jam responsum est ex nuper dictis.

Ad secundam dicitur, quod per quamcumque formam de novo advenientem accipit materia diversum esse, et amittit aliud quod habebat per aliam formam, non tamen corrumpitur aut generatur de novo, quia non amittit, nec acquirit ipsam entitatem potentialem, quam habet ad omnes formas, sed intra latitudinem formarum a quibus potest habere esse, transmutat causas formales, per quas conservatur in esse: non dicitur autem aliquid corrumpi, aut generari simpliciter per hoc quod transmutet esse, vel modum essendi, si utriusque est capax, sed si de novo accipiat esse, ita quod ante non fuerit, dicitur generari, seu produci; et si amiserit esse, ita quod aliud non accipiat, dicitur corrumpi, sicut in sententia S. Thomæ quod humanitas in Verbo non solum subsistat, sed existat, si humanitas mea assumeretur modo a Persona spoliaretur propria subsistentia, et existentia, nec tamen desineret esse, nec corrumpetur, quia subrogaretur alia loco illius eundem effectum faciens. Itaque materia per quamcumque formam potest existere, nec adæquate per istam determinatam existit, sed per quamcumque earum, quarum est capax existere potest. Unde mu-

tatio de una in aliam non est corruptio, seu desitio, et generatio, sed sub diversis existentibus, et formis continuatio. Et hoc ponit quidem transmutationem in materia, quia subjectum mutationis est, sed non corruptionem, et productionem ejusdem in sua entitate potentiali.

XV. Ad tertiam instantiam dicitur materiam pendere a solo Deo efficienter, quantum ad ipsum fieri, seu concreari ex nihilo, sed in facto esse pendere a forma, quia sic efficienter est a Deo quod fit ut subjecta, et dependens a forma, a qua in genere causæ formalis dependet. Agens autem naturale, licet introducat in materiam esse formale, et existentiam, quæ ad eam sequitur, non tamen dicitur producere materiam, aut conservare simpliciter, quia non est causa ipsius entitatis potentialis materiæ, nec ipsius concreationis ex nihilo, sed solum formæ, quatenus determinat, et communicat existentiam ipsi toti, et materiæ; et sic complet productionem ejus in esse, quantum ad determinationem existentiam, ipsam quippe indifferentiam, et capacitatem omnium formarum, quæ est entitas potentialis materiæ, agens naturale non producit, sed hoc a Deo est ipsi materiæ cum dependentia tamen a forma producta per agens naturale, ut complente, seu determinante esse sub quo determinate materia existit. Unde agens naturale non simpliciter producit, aut concretat materiam, sed complet, seu determinat quoad esse.

XV. Ad quartam dicitur, quod licet materia fiat dependens a forma, ut a determinante esse illius, non tamen ut a subjecto ex quo fiat, vel ut a termino a quo, et ideo talis dependentia non tollit, quin ex nihilo fiat, ut ex præsupposito; et tamen non redditur ex nihilo dependens,

sed dependet a forma. Videantur plura de his in physica qu. II, art. III.

Ad confirmationem diximus ibidem qu. IV, art. II, quod non est idem formam fieri dependentem a materia, et fieri per educationem: nam si Deus totam substantiam panis converteret in totam substantiam lapidis, forma lapidis esset dependens a materia, sed non tamen educta, sed ex conversione alterius facta. Et si Deus produceret accidens separatum, et postea illud uniret subjecto, faceret dependere, nec tamen educeret. Ad educationem ergo requiritur quod forma fiat dependens a subjecto per transmutationem materiæ, et reductionem potentialitatis ejus in actum, non per hoc quod fiat aliunde, et ei uniatur, etiamsi uniatur ei cum dependentia.

ARTICULUS IV.

Utrum potentia creativa principaliter, vel instrumentaliter possit creaturæ communicari?

I. Supponendum est tamquam certum de fide nullam creaturam de facto aliquid creare, vel creasse ut supra articulo primo ostendimus: hoc enim pertinet proprie ad omnipotentiam Dei, et virtutem illius infinitam, sicut dicitur Jeremiæ xxxii: *Ecce Domine tu fecisti cælum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento*: et Isai. XLIV: *Ego Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens cælos, et nullus mecum*. Posuerunt tamen aliqui, ut Avicenna, quem citat S. Thomas hac quæstione XLV, art. V, quod licet creare sit proprie actio primæ causæ, tamen in virtute ejus potest aliqua inferior causa creare; et sic quod prima substantia separata